

Index initialis Bullarum.

<b>I</b>	<i>In eminenti .</i>	270	<i>Pastoralis muneris .</i>	223
	<i>In his Apostolici .</i>	189	<i>Pastoralis officii .</i>	81
	<i>In his Pastoralis .</i>	202	<i>Piis .</i>	366
	<i>Injunctum Nobis desuper .</i>	10	<i>Postquam annis .</i>	212
	<i>Injuncti Nobis .</i>	191. 193	<i>Postquam Venerabilis .</i>	125
	<i>In iis .</i>	407	<i>Pro excellenti .</i>	49
	<i>In iis præcipue .</i>	136	<i>Prospero felicitate .</i>	195
	<i>In quantis .</i>	34	<i>Provisionis .</i>	401
	<i>In Sede .</i>	381	<i>Publica quietis .</i>	135
	<i>In specula .</i>	361	<i>Publicis .</i>	276
	<i>In supremo .</i>	87. 249	<b>Q</b>	
	<i>In supremo iustitia .</i>	27	<i>Quamvis .</i>	303. 335
	<i>Inter cetera .</i>	22	<i>Quamvis ad aberratam .</i>	179
	<i>Inter ceteras .</i>	204	<i>Quamvis iuxta .</i>	145
	<i>Inter gravissimas .</i>	2. 55. 75. 86	<i>Quamvis tunc de jure .</i>	78
	<i>Inter multiplices .</i>	302	<i>Quanto .</i>	338
	<i>Iustis .</i>	298	<i>Quantum .</i>	402
			<i>Quoniam nemo .</i>	174
			<i>Quoniam præsens .</i>	110
<b>L</b>	<i>Licet alias .</i>	71	<b>R</b>	
	<i>Licet vigore .</i>	62	<i>Religiosos viros .</i>	48. 221. 347
<b>M</b>			<i>Romanus Pontifex .</i>	201. 284. 289
	<i>Militantis .</i>	300	<i>Romanum decet .</i>	12
	<i>Militantis Ecclesia .</i>	5. 246	<i>Romani Pontifices .</i>	211. 212
	<i>Magnum in Christo .</i>	103	<b>S</b>	
<b>N</b>			<i>Sacrosancta .</i>	321
	<i>Ne nova .</i>	243	<i>Sacrosancta .</i>	166
	<i>Nuper a Congregatione .</i>	263	<i>Salvatoris Nostri .</i>	236
	<i>Nuper a Nobis .</i>	33. 217. 349	<i>Sancta Synodus .</i>	13
	<i>Nuper emanarunt .</i>	241	<i>Sape convenit .</i>	305
	<i>Nuper .</i>	1	<i>Sincera .</i>	358
	<i>Nuper pro parte dilectorum .</i>	11	<i>Sincera Fidei .</i>	128
	<i>Nuper pro parte .</i>	32. 36. 38. 68. 109. 110. 127	<i>Super militantis .</i>	224
	<i>138. 145. 148. 153. 154. 161. 173. 189. 210</i>		<i>Super universas .</i>	143. 234. 409
	<i>225. 379. 408.</i>		<i>Sustentatis .</i>	404
<b>O</b>			<b>V</b>	
	<i>Olim felicitis .</i>	117	<i>Vires .</i>	301
	<i>Olim postquam .</i>	262	<i>Universa .</i>	341
	<i>Omnium .</i>	410	<i>Ut Aluani .</i>	357
	<i>Onerosa .</i>	198. 205	<i>Ut Fratres .</i>	394
<b>P</b>			<b>Z</b>	
	<i>Pavoris .</i>	415	<i>Zelam .</i>	383
	<i>Pastoralis .</i>	298. 360. 368		



CONSTITUTIONES  
URBANI OCTAVI  
ANNO XII

CDLIX.


Designatio Conventuum pro Novitiis Laicorum, seu Conventuum Ordinis Fratrum B. Mariae de Monte Carmelo.

*Fratres Carmelita suam Regulam susceperunt ab Alberto Patriarcha Hierosolymitano, quam Honorius III. approbavit in Constit. LXXVIII. Ut vivendi. To. III. f. 242. Cappis albis uti iussit Bonifacius VIII. in Const. VII. Iustis. Tom III. Par. II. fol. 80.*

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Instantia Procur. Gener. Ordinis.



§. 1. UPER pro parte dilecti filii Procuratoris Generalis Ordinis Fratrum Beatae Mariae de Monte Carmelo, Nobis expositum fuit, quod a Venerabilibus Fratribus nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus negotiis Regularium praepositis emanavit Decretum per dilectum filium nostrum Martium Sancti Angeli in Foro Piscium Diaconum Cardinalem Ginetum nuncupatum, dicti Ordinis Beatae Mariae de Monte Carmelo Protectorem exponi demandatum infra scripto sub tenore, videlicet.

*Eminentissimi, e Reverendissimi Signori.*

Causae hujus Cont. referuntur, & decretum desuper emanatum.

§. 2. Il Procuratore Generale de' Carmelitani espone all' Eminenze Vostre, come nella sua Religione è stato sempre solito, che i Frati Conversi, seu Laici facessero l' Anno del Noviziato in qualsivoglia Convento in virtù si delle loro Constitutioni, come anco per concessione della bona memoria di Clemente Ottavo. Ma perchè forsi tale concessione sarebbe troppo ampla, supplica, che almeno si dia facoltà al Padre Generale, che in ogni Provincia d' Italia, ed isole adjacenti possa Bull. Rom. Tom. VI. Par. II.

designare quattro, o cinque Conventi de' principali, dove sotto la cura di persona idonea detti Conversi, seu Laici facciano l' Anno del Noviziato, quale finito possino poi fare la loro professione solennemente, non offante li Decreti di Clemente Ottavo bona memoria, ed altri in contrario, che si riceverà a grazia singolarissima.

§. 3. S. Congregatio Cardinalium negotiis Regularium praeposita censuit, committendum esse Eminentissimo Cardinali Ginetto Ordinis hujusmodi apud hanc Sanctam Sedem Protectori, prout praesentis Decreti virtute committit, ut pro suo arbitrio, & prudentia, & prout magis in Domino expedire arbitrabitur, Conventus praedictos in singulis Provinciis ad Novitios Laicos, seu Conversos recipiendos designet, contrariis quibuscumque non obstantibus: dummodo in reliquis Novitii Conversi ad habitum, & professionem in ipsis Conventibus, ut supra, designandis admittantur, servata forma Decreti Sanctissimi Domini Nostri super receptione, & educatione Novitiorum ultimo loco editi, necnon felicitis recordationis Sixti Quinti, ac aliarum Constitutionum Apostolicarum, & Decretorum pariter similis memoriae Clementis Octavi. Institutionumque generalium super receptione, & educatione Novitiorum ejusdem Clementis, necnon san. mem. Pauli Quinti auctoritate editarum.

Decretum Congregat. Episc. & Regular.

Roma die 10. Februarii 1634.

§. 4. Nos Martius Sancti Angeli in Foro Piscium Sanctae Romanae Ecclesiae Diaconus Cardinalis Ginetus totius Ordinis Beatae Mariae de Monte Carmelo Protector, vigore retroscripti Decreti institutum, deputamus, & designamus in singulis Provinciis Italiae, & Insularum adjacentium Conventus infra scriptos, videlicet:

In Provincia Sancti Alberti in Sicilia Conventus Placiae, Melatii, Scicli, Syracusae, & Mazarini.

In Provincia Romana Conventus Transpontinae, Sancti Martini in Montibus, Praeneste, Velitrarum, & Roncioniensis.

In Provincia Lombardiae Conventus Medio-

Designatio Conventuum pro Novitiis laicorum.

Mediolani, Cremonæ, Novariæ, Montis Calerii, & Novarum.  
 In Provincia Venetiarum Conventus Vicentiæ, Roboreti, & Dezenfani.  
 In Provincia Tusciæ Conventus Pifarum, Prati, Montis Politiani, & Emporii.  
 In Provincia Romandiolæ Conventus Anconæ, Casenæ, Arimini, & Senogallie.  
 In Provincia Neapolis Conventus Capuæ, Nucerinæ, Apulie, Beneventi, Sileri, & Averlæ.  
 In Provincia Apulie Conventus Licii, Bitunti, Neriti, Baruli, & Monopolis.  
 In Provincia Sancti Angeli in Sicilia Conventus Marfalæ, Alcamii, Sancti Nicolai de Bononia, Calatanixete, & Rocalbuti.  
 In Provincia Calabriae Conventus Cosentia, Rhegii, Caroleorum, & Catanzarii.  
 In Provincia Aprutii Conventus Terami, Ortonæ, & Bilantis.  
 In Grancii Conventus Neapolis, Conventus Summæ, Surrenti, & Concordiæ.  
 In quibus possint recipi, & admitti ad habitum, & expleto probationis anno ad professionem Fratres Conversi, seu Laici, servata forma decreti Sanctissimi Domini Nostri super receptione, & educatione Novitiorum ultimo loco editi, necnon felicis recordationis Sixti Quinti, ac aliarum Constitutionum Apostolicarum, & Decretorum pariter similis memorie Clementis Octavi, institutionumque generalium super receptione, & educatione eisdem Clementis, necnon san. mem. Pauli Quinti auctoritate editarum. Et ita observari mandamus, contrariis quibuscumque non obstantibus.

Confirmatio Apostolica.

Roma die 4. Julii 1634.  
 §.5. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus Procurator Generalis Decretum præinsertum, Conventuumque prædictorum ad effectum prædictum designationem huiusmodi ab eodem Martio Cardinale eisdem Decreti vigore factam apostolicæ nostræ confirmationis robore communiri summopere desideret. Nos eundem Procuratorem Generalem spiritualibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus illius nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum prædictum, & illius vigore factam Conventuum huiusmodi designationem, præinserta apostolica auctoritate, tenore præsentium approbamus, & confirmamus, ac omnes, & singulos, tam juris, quam facti defectus, si qui desuper intervenerint, supplemus.

Decretum irritans.

§.6. Decernentes illa, necnon præsentis literas valida, firma, & efficacia existere, & fore, ac ab omnibus, ad quos

spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari. Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam caularum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§.5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Domorum, seu Conventuum, & Ordinis huiusmodi, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis Statutis, & consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 12. Aug. 1634. An. XII.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die decimasecunda Augusti 1634. Pontificatus nostri Anno XII.

CDLX.

Declaratio circa præcedentiam inter Fratres Sancti Francisci de Observantia Reformatos.

De his Fratribus vide signata ad Constitutum LIX. Sacrosanctum. Tom. V. Par. V. fol. 226.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Inter gravissimas, multiplicesque apostolicæ servitutis curas, in eam peculiari sollicitudine incumbimus, ut religiosi viri, qui obliti populum suum, & domum patris sui, divini numinis obsequiis se manciparunt, vota sua reddant Domino abundanter, in spiritu humilitatis, ac sanctitate, & iustitia coram ipso.

Exordium.

§.1. Hinc est, quod Nos felici dilectorum filiorum Fratrum Ordinis S. Francisci de Observantia, Reformatorum nuncupatorum, statui, quantum cum Domino possumus, consulere volentes; Motu proprio, & ex certa scientia nostra, harum serie statuimus, atque præcipimus, & mandamus, quod de cætero inter eosdem Fratres Minores Sancti Francisci de Observantia, Reformatos nuncupatos, nulli illorum jus præcedendi, sive honoratoris loci competat, nisi Ministro, Commissario, Vicario, & Procuratori Generalibus, Ministris Provincialibus, Commissariis, & Vicariis Provincialibus, si fuerint ex Reformatis, Custodibus Reformationum, Commissariis, Visitatoribus, Guardianis, Præsidentibus, seu Commissariis, & Vicariis localibus: qui tamen, expletis eorum officiis, ad locum, & præcedentiam Ordinis redibunt, tam ii, qui jam habitum per dictos Fratres Reformatos gestari solitum susceperunt, & de cætero suscipient, quam ii, qui se a Fratribus de Observantia ad Fratres Reformatos huiusmodi canonicè transtulerunt,

Dispositio præcedentiarum.

runt; & transferent: exceptis tamen iis, qui officio Ministri Generalis, seu Commissarii Generalis Cismontanæ familie functi sunt, vel fungentur, qui post Superiores actuales immediate locum habeant.

Clausule præservative, & decretum irritans.

§.2. Decernentes præsentis Literas semper, & perpetuo validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, ac ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari debere: irritumque, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§.3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quibusvis dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, illis aliis in suo robore permanentibus, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 23. Aug. 1634. An. XII.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die vigesimatertia Augusti 1634. Pontificatus nostri Anno XII.

CDLXI.

Quod Fratres Ordinis Beate Mariæ de Monte Carmelo in Collegio Sanctæ Theresiæ Salamantinæ absolutis per eos cursu, lecturis, vel exercitiis literarum a Regularibus dicti Ordinis requisitis, in eadem Sacra Theologia Lauream suscipere possint absque expensis.

Dilecto Filio Theodoro Stratio moderno, & pro tempore existenti Priori Generali Fratrum Ordinis Beate Mariæ de Monte Carmelo.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Dilecte Fili noster salutem, & apostolicam benedictionem.

Motiva.

Cum sicut Nobis nuper exponi fecisti, tu juxta regularia tui Ordinis in Bull. Rom. Tom. VI. Par. II.

stituta apostolica auctoritate confirmata, Ordinis prædicti professores, qui eos cursus, lecturas, vel exercitia literarum peregerunt, quæ secundum eorundem regularium institutorum formam, & tenorem requiruntur, eisdem Ordinis Magistris in Sacra Theologia creandi, & instituendi facultatem habeas, dummodo tamen iidem Professores Magisterii, sive Doctoratus in eadem Sacra Theologia lauream in aliqua approbata Studii Generalis Universitate suscipiant: Quia vero in suscipienda Magisterii, sive Doctoratus in Universitate generali huiusmodi laurea, intolerabiles pecuniarum summae expendendæ sunt, in magnum pauperum inter Mendicantes Religionis detrimentum, & Collegium Sanctæ Theresiæ Salamantinæ eisdem Ordinis semper habuit, & imposterum habiturum speratur Regentes, & in eadem Sacra Theologia Magistros doctos, & in literarum exercitiis maxime versatos: Nobis propterea, quod debitis virtutis honos eisdem Ordinis Provincia-rum Hispaniæ, & Lusitanie professoribus, qui in artibus, & Sacra Theologia huiusmodi studiis cursum perfecerunt, & aliis digni, & idonei sunt, sublati expensis huiusmodi habeatur, humiliter supplicari fecisti, ut super præmissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Indulget prout in Rubrica.

§.1. Nos igitur te, ac Provinciarum prædictarum tui Ordinis huiusmodi Professores specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, teque, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existitis, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negotiis Regularium, præpositorum consilio, tibi, omnibus, & singulis dicti Ordinis, & Provinciarum prædictarum professoribus, quos absolutis per eos cursu, lecturis, vel exercitiis literarum a regularibus dicti Ordinis institutis, ut præfertur, requisitis, & servatis aliis servandis, in eadem Sacra Theologia creaveris, & institueris, quod illi in prædicto Collegio Sanctæ Theresiæ Salamantinæ cum rigoroso examine, & approbatione Regentium, & aliorum Magistrorum eisdem Collegii, ac servatis aliis conditionibus juxta regularia instituta huiusmodi necessariis, a Superiore eisdem Collegii, Magisterii, sive Doctoratus in eadem Sacra Theologia lauream suscipere libere, & licite possint, & valeant, auctoritate nostra concedendi, & indulgendi, apostolica auctoritate, tenore præsentium facultatem concedimus, & imperitur. Decernentes irritum, & inane, si

secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogat obstantibus, §. 2. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit, Ordinis, & Provinciarum huiusmodi, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, eorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis aliis in suo robore permanentibus, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 26. Aug. 1634. An. xii. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die vigesima sexta Augusti 1634. Pontificatus nostri Anno XII.

CDLXII.

Ex Regest. in Secretar. Brev. Nuncio Apostolico apud Wladislaum IV. Poloniae Regem facta potestas Ecclesiasticis Regni eiusdem permittendi, ut Regi subsidium praestare queant.

Venerabili Fratri Honorato Archiepiscopo Lavissen. apud charissimum in Christo filium nostrum Wladislaum Poloniae, & Sveciae Regem illustrem nostro, & Sedis Apostolicae Nuncio.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ven. Frater salutem, & apostolicam benedictionem.

Ecclesiasticis Regni Poloniae ali-quod Regi subsidium praestare cupientibus, §. 1. Cum, sicut accepimus, dilecti filii Clerus Regni Poloniae provide considerantes. Regnum ipsum gravibus ad praesens necessitatibus urgeri, & immunitia illi pericula tam ecclesiasticis, quam laicis communia; Regni vero praedicti vires adeo exhaustas esse, ut laicorum facultates sufficienti subsidio, quo eisdem necessitatibus subveniatur, & periculis praedictis occurratur, comparando nequaquam suppetant, ideoque pro publica salutis, patriaeque defensione aliquam pecuniam summam subsidii nomine charissimo in Christo filio nostro Wladislaeo Poloniae, & Sveciae Regi Illustri nostro, & Sedis Apostolicae ad id accedente licentia, & consensu, sponte conferri desideret.

Facultatem ad id concedit Urbanus. §. 2. Nos praedicti Wladislaei Regis, & dicti Poloniae Regni necessitatibus huiusmodi consulere, periculisque praedictis, quantum Nobis ex alto conceditur, occurrere volentes, tibi, Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, & Episcopis; ac dilectis filiis Abbatibus, & aliis personis ecclesiasticis eiusdem Regni, ut pro necessitatibus, & periculis huiusmodi subsidium praedicto Wladislaeo Regi, sponte tamen,

pro una vice, & summa, qua eis videbitur dumtaxat: ipsi autem Wladislaeo Regi, eiusque Ministris, quod subsidium huiusmodi petere, & recipere absque conscientiae scrupulo, censurarum, & poenarum ecclesiasticarum incursum, libere, & licite possint, dummodo tamen subsidium huiusmodi in praedictos, & non alios usus convertatur, & erogetur, apostolica auctoritate indulgendi, & licentiam concedendi, ipsosque Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, & alias personas ecclesiasticas, earumque singulas, quatenus dictam pecuniam summam absque Sedis praedictae licentia promiserint, aut solverint, necnon eundem Wladislaum Regem, & suos Ministros praedictos, si illam similiter absque licentia praedicta jam receperint, ab omnibus, & singulis censuris, & poenis propterea quomodolibet incursum, eadem auctoritate absolviendi facultatem, & auctoritatem tenore praesentium, concedimus, & impertimur.

Immo recusatantes vult compelli. §. 3. Tibique, ut ad executionem praedicti subsidii per personas ecclesiasticas tantum, & non alias procedere debeas, eadem auctoritate committimus, & mandamus. Contradictores, ac solvere recusantes, per censuras, & poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris, & facti remedia, eadem auctoritate compescendo.

Obstantia tollit. §. 4. Non obstantibus Concilii Lateranensis, ac quibusvis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Ecclesiarum, Monasteriorum, & Beneficiorum huiusmodi, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis, ac exemptionibus, immunitatibus, etiam in corpore iuris clausis, quibusvis generaliter, vel specialiter concessis, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus, de verbo ad verbum mentio, seu quavis alia expressio habenda sit, & in eis caveatur expresse, quod per huiusmodi clausulas generales, etiam mentionem specialem importantes eis derogatum esse non censetur, nec derogari videatur, nisi certis modo, & forma, in illis expressis plene observatis. Quibus omnibus, eorum tenores praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Pauperes autem Clericos excipit. §. 5. Volumus autem, ut pauperes Clerici, qui in redditibus non habent, nisi victum necessarium, ad contribuendum, minime compellantur.

Præsentium que Transumptis ere di jubet. §. 4. Praeterea volumus, ut praesentium transumptis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, sigilloque personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio, & extra ubique adhibeatur, quae ipsi originalibus literis adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensa.

Datum

Datum in Arce Gandulphi Albanen. Diocesis sub Annulo Piscatoris, die decimona Octobris 1634. Pontificatus nostri Anno XII.

CDLXIII.

Præfixio, & approbatio Cæremonialis pro electione Magni Magistri Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani.

Alias leges ediderat pro huiusmodi electione hic idem Pontifex Constituit. CCLXIX. In specula. Tom. VI. Par. I. fol. 129.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Alias hic Pont. nonnulla constituit circa electionem M. Magistri huius Militie.

Militantis Ecclesiae regimini, non meritis nostris, sed inscrutabili divinae voluntatis providentia vocati, & attempta mentis acie considerantes, Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani in Insula Melitae Doctoris gentium miraculis celebrata, firmissimum, tutissimumque republicae christianae adversus impii turcarum tyranni invasiones propugnaculum existere, ejusque Fratres Milites, tamquam veros Christi athletas, pro fidei catholicae defensione, nullis vitae periculis parcendo, jugiter laborare: dignum, quin potius debitum reputamus, ut ea, quae per nostras Literas, Motu proprio expeditas, alias statuitis, & ordinavimus pro felici, rectaque Magni Magistri dicti Hospitalis electione, suum debitum fortiantur effectum.

Pro cuius faciliore executione edidit Cæremoniale hic subsequens.

§. 1. Cumque pro faciliore ipsarum Literarum nostrarum executione proprium Cæremoniale per nonnullos Romanæ Curiae Praelatos, religionis zelo, prudentia, fide, doctrina, rerum gerendarum usu, aliisque egregiis virtutibus conspicuos, quibus negotium huiusmodi commiseramus, diligenti, ut res postulabat, adhibito examine, confectum, & a Nobis approbatum fuerit, ut illud cum omnibus, & singulis in eo contentis inviolabiliter perpetuo observetur, ex nostro pastoralis officii debito providendum, ac nostrae apostolicae confirmationis patrocinio muniendum censuimus.

De congregando Capitulo.

Tenor autem illius est. Magno Magistro vita functo, congregetur, quam primum fieri poterit, consilium status, sive completum, a quo inter ceteros, praecipue infra scripti fiant.

De Locumtenentis electione, & facultate.

Primo. Deputet, sive eligat Locumtenentem juxta formam Statutorum, seu stabilimentorum dicti Hospitalis apostolica auctoritate confirmatorum, qui juxta Literarum Sanctissimi Domini Nostri Urbani Papae Octavi desuper emanatarum huiusmodi dispositionem, ea dumtaxat exercere valebit, quae ad meram justitiam pertinent: non autem cum quovis Fratre Milite dicti Hospitalis, seu alia quavis

persona ad habitum Fratrum dicti Hospitalis admitti petente super cujuscumque generis impedimento, vel defectu, etiam in vim quorumcumque privilegiorum, seu facultatum dicta auctoritate concessorum, seu confirmatorum, dispensare: neque cum eodem consilio status, & quovis praetextu alias gratias etiam facere, ut sunt, habitum dicti Hospitalis concedere, aut exhibere, vel similia: minusque Literas Apostolicas Magno Magistro praedefinito directas executioni demandare, aut alios quovis actus gratiam concernentes, facere sub poena in omnibus, vel singulis casibus praedictis, privationis vocis activae eo ipso incurrenda, & per consilium praedictum, excluso ipso Locumtenente, declaranda: & nihilominus omnia, & singula per eum contra praesentium tenorem quomodolibet gesta, irrita, & inania, nulliusque roboris, & momenti existant: sicque dispensati, & alii quicumque executionis Literarum praedictarum, necnon gratiarum eis sic, ut praesertur, a Locumtenente huiusmodi factarum usu, & effectu careant, sed in eodem statu, in quo antea erant, non secus, ac si cum eis super suis impedimentis, vel defectibus dispensatum, gratiaque eis concessa, ac Litera Apostolicae huiusmodi executioni demandata non fuissent, remaneant.

Secundo. Locumtenens, & consilium praedicti tres ejusdem Hospitalis, ac unius, seu diversarum linguarum Fratres Milites fide, & facultatibus idoneos, prout sibi videbitur, deputent, ut in ipsum sic deputatorum manibus pecuniae per communis aerarii debitores, durante Sedis Magistralis vacatione, realiter, & cum effectu solvantur, & numerentur: solventes vero solutionum huiusmodi quietantias ab ipsis deputatis reportent. Qui quidem deputati, statim sequuta Magni Magistri electione, pecuniarum per eos receptorum, & exactarum rationem reddere, pecuniasque ipsas Magno Magistro canonice electo, seu Thesaurario, vel aliis Ministris, ad quos de jure, & ex forma statutorum, seu stabilimentorum huiusmodi spectabit, consignare, & restituere teneantur: aliterque facta solutiones nullatenus solventibus suffragentur: quin adhuc communis aerarii, ad effectum non ferendi suffragium, debitores censentur.

De exactorum electione, & auctoritate.

Tertio. Curabunt iidem Locumtenens, & Consilium Status, ut a qualibet lingua, seu aliis, prout eis celeri expeditioni magis expedire videbitur, eorum Fratrum, qui juxta earumdem Literarum praedictarum formam suffragium laturi sunt, nota, sive catalogus conficiatur, cum eorum nominibus, cognominibus, patriis, & denominationibus, necnon tempore susceptionis habitus, ac residentiae, & caravannarum per eorum quemlibet factarum: quae quidem nota, sive catalogus, edicto per eisdem Locumtenentem,

De Vocibus.

tem, & Consilium Status promulgando inferatur: edictumque hujusmodi in locis publicis, & consuetis, ad hoc, ut si quis se gravatum senserit, aut contra aliquem etiam alterius linguæ excipere voluerit, infra terminum ab eisdem in dicto termino præsigendum, in actis Cancellarii, seu Vice-Cancellarii, aut cujusvis alterius ad hoc deputandi, jura sua exhibere, & deducere possit: quo termino elapso, & nihil opposito, opponere volentes, postea amplius non audiantur. Præterea juxta Literarum prædictarum dispositionem, etiam vigore cujuscumque privilegii, seu concessionis, etiam specialis a Sede Apostolica obtentæ, sive consuetudinis etiam immemorabilis, aut quovis alio prætextu, in electione Magni Magistri, aut in quovis alio actu, illam concernente, votum, vel suffragium nec ferre, nec passivum habere, nec in ea quomodolibet se intromittere, vel immiscere poterit ullus ejusdem Hospitalis Frater, aut Cappellanus, vel Serviens armorum, extra omnium linguarum, sive totius Hospitalis limites natus, cum quo super defectu limitum dispensatum fuerit: nullusque Frater Cappellanus actu Sacerdos non existens: minusque ullus Frater serviens ex mera gratia, & non factis probationibus receptus. Qui omnes propterea, seu eorum aliqui, in catalogo, sive nota hujusmodi poni non debent: exceptis tamen Episcopo Melevitano, & Priore Ecclesiæ Conventualis dicti Hospitalis nunc, & pro tempore existentibus, necnon quovis alio magnæ Crucis Fratre, qui licet extra limites recepti, voto, sive suffragio activo, & passivo gaudeant respectu electionis 24. dumtaxat, nec in hac prohibitionis parte ullatenus comprehendis, sed ejusdem Episcopi, necnon linguæ Germanicæ jura, privilegia, & prærogativæ, si quæ aliis illis competunt, præservata censeantur.

Quarto. Iidem Locumtenens, & Consilium ad nominationem cujuslibet eligentium, qui ex aliqua infirmitatis, vel alterius justæ, & rationalis impotentia causa, nomina, cognomina, & denominationes prædicta scribere non poterit, personas deputabunt, quæ eadem nomina, cognomina, & denominationes pro iisdem sic impeditis scribant.

Insuper Locumtenens, & Consilium prædicti decidant, & terminent summarie, sine strepitu, & figura Judicii, etiam manu regia, juxta tamen statuta, stabilimenta, & consuetudines dicti Hospitalis, omni, & quacumque appellatione, restitutione in integrum, & aliis quibuscumque executionem retardare valentibus remotis, omnes causas supradictorum gravaminum, & exceptionum, & quamlibet aliam controversiam, etiam xxiv. & xvi. Electorum, quas Sede Magistrali vacante oriri contigerit, donec ad Magni Magistri consummatam electionem devenit fuerit.

Conventus vero, & omnes Fratres die, & hora solitis in Ecclesia Conventuali S. Joannis congregentur: & Missa celebrata, Hymnoque *Veni creator Spiritus*, decantato, singuli Fratres juxta vigorem Literarum Apostolicarum prædictarum habentes, ad Cappellam unicuique linguæ ad id in eadem Ecclesia designatam, seu destinandam, accedant: exceptis tamen Fratribus illius linguæ, ex qua dictus Locumtenens extiterit, qui in corpore ejusdem Ecclesiæ Conventualis remaneant. Hi non unum, ut antea consueverant, sed tres Fratres Milites ex unaquaque lingua capaces, ac juxta earumdem Literarum Apostolicarum, necnon statutorum, seu stabilimentorum prædictorum formam qualificatos, in Electores eligant, itaut imposterum non octo tantum Fratres Milites, qui in electores deputabantur, sed vigintiquatuor eligantur. Ipsaque trium Fratrum cujuslibet linguæ electio per secretas schedulas modo, & forma sequentibus fiat: Videlicet, quod omnes schedulæ, vel impressæ, vel una, & eadem manu tantum conscriptæ sint, cum expressione nominum, & cognominum, seu denominationum eligentium, & eligendorum, juxta exemplum infra scriptum.

Ego Frater .

Eligo Fratrem  
in unum ex xxiv.

Exemplum  
schedulæ electionis.

Ego

De impotentibus ferre votum inscriptis.

De causarum expeditionibus.

Ego Fr. Sylvester Scotus,

Exemplum  
schedulæ,

Eligo Fr. Nicolaum la Marra  
in unum ex xxiv.

De scrutinio.

Ad novum scrutinium toties deveniatur, donec tres supradicti, votis sive suffragiis sufficientibus juxta earumdem Literarum Apostolicarum formam, & tenorem electi sint.

De schedulæ compilatione, & sigillo.

Quilibet vero eligentium hujusmodi ad mensam prædictam accedens, nominibus, seu cognominibus, aut denominationibus prædictis in sua schedula, ut præmittitur, conscriptis, primo illam in superiori parte complicabit, & communi suæ linguæ sigillo in eadem mensa ad hunc effectum præparando, ita claudat, ut eligentis nomen nunquam videri possit, nec ullo unquam tempore publicetur.

Secundo eandem schedulam ita totam complicabit, ut tunc temporis a nemine legi valeat.

Tertio schedulam ipsam sic complicatam, & sigillo clausam summis digitis elevans, & circumstantibus palam, & publice ad hoc, ut unicam esse, omnibus pateat, commonstrans, alta, & intelligibili voce jurabit juxta sequentem formam.

Forma Juramenti.

De Juramento.

Ego N. Juro, me eligere illum, quem secundum Deum eligendum judico.

De positione schedularum in urnam.

Quod quidem juramentum in omnibus aliis electionibus in vim Literarum Apostolicarum hujusmodi faciendis præstari, & renovari debet.

Præstito hujusmodi juramento, schedulam prædictam in urnam, seu vas ad hunc effectum in mensa appositum, immittat.

De numeratione schedularum.

Quo facto, tres Fratres Milites antiquiores, & magis antiani, nulla habita præminentia consideratione, ultra alios actus, sibi uti scrutatori competentes, palam, & publice omnibus eligentibus, videntibus, & audientibus, schedulas in urnam, seu vas immittas numerent: & ubi pauciores, seu plures schedulæ numero eligentium repertæ fuerint, illico, & publice comburantur; & toties scrutinium renovetur, donec schedularum numerus eligentium numero coæquetur, illique respondeat.

De publicatione schedularum.

Comperto autem, numerum schedularum parem esse numero eligentium,

scrutatores prædicti legant alta voce, & publicent schedulas in parte sigillo non clausa, publicando propterea personam, quæ in eis eligitur: factaque publicatione hujusmodi, censeantur electi tres Fratres Milites prædicti pro qualibet lingua, qui majorem suffragiorum numerum respectu minoris habuerint, dummodo singuli quartam saltem suffragiorum partem assequantur. Quod si nemo, sive duo, aut unus dumtaxat ex tribus eligendis, hanc quartam suffragiorum partem reportaverit, ad novum scrutinium toties pariter deveniatur, quo ad alios, qui quartam partem non reportaverint, donec trium numerus cum dicta saltem quarta parte compleatur. In eventum, in quem aliquis necessarius dumtaxat votis eligatur, idem electus propriam schedulam agnoscat, ad hoc, ut videatur, an detracta ipsius electi schedula, sufficiens pro electione schedularum numerus fuerit, & an electus sibi met (quod non potest) suffragium tulerit: & renuente electo propria schedulæ agnitionem, sive manifestationem, ille ea vice pro non electo habeatur.

Qui vero, ut præmittitur, electus fuerit, a suffragio, sive voto ferendo pro aliis duobus arceatur: statimque, atque electus fuerit, ab ipsa Cappella recedat, & ad locum Conclavis opportunum se conferat.

Quod si Locumtenens in dictorum trium numerum eligatur, statim alius Locumtenens deputetur, seu magis antianus ipsius Consilii ibi existens, omnia qualibet præminentia consideratione, Locumtenentis loco præsideat, prout Consilio expedire videbitur.

Quia vero lingua Anglicana non habet Fratres Milites, Cappellanos, nec Fratres Servientes: ideo donec illud Regnum ad gremium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ redierit, unaquæque aliarum septem linguarum successively alium Fratrem Militem e propria lingua per schedulam, ut supra, eligit: & septem sic electis viginti, & unus supradicti, prævia dicti juramenti præstatione, per secreta pillularum suffragia pro majori eligentium numero respectu minoris, tres diversarum nationum, Gallicæ videlicet, Italicæ, Hispanicæ, & Germanicæ eligant, cum ballotatione cujuslibet ipsorum septem: qui tres, ut præmittitur, electi linguam Anglicanam repræsentent, illiusque vice, & nomine in ista electione dumtaxat suffragium ferant.

Facta, ut præmittitur, eorumdem electione, illi ad locum Conclavis se conferant, in quo electio Magni Magistri necessario facienda erit, & ad infra scriptos actus deveniant, videlicet.

Primo. Eligant, prævia dicti juramenti præstatione, Præsidentem electionis per pillulas secretas, juxta antiquam dicti Hospitalis consuetudinem, hætenus ibi observatam: qui sic electus loco dicti Locumtenentis, cum prohibitionibus su-

dularum, & electione 24 Militum.

De electo ad Conclave se transferendo.

De subrogando in causa electionis Locumtenentis.

De subrogandis pro Anglicana lingua.

De electis ad Conclave se transferendis pro eligendo Magistro.

De Præsidente electionis.

pra-

pradictis gratias, & alia supradicta facien di, praesideat, & ea, quae Praesidentes electionis de iure, privilegio, usu, vel consuetudine facere, & gerere possunt, seu debent, gerat, & faciat.

De electio ne Triumvi ratur.

Secundo. Praevia similiter ejusdem juramenti praestatione, procedant ad electionem Triumviratus, nempe unius Militis, unius Cappellani, & unius armorum Servientis Fratrum, qui sint diversarum linguarum, juxta formam scrutiniis pillularum superius descripti, usque ad perfectam electionem hujusmodi.

De electio ne quarti.

Tertio. Celebrata electione praedicta, ipsi tres sic electi ad quarti electionem, diversa tamen lingua a sua, unanimes deveniant: & si infra unius horae a primo momento clausurae Conclavis computanda, spatium concordans non fuerint, tunc, & eo casu illorum singuli alium Fratrem Militem eorum cuilibet benevolum, qui non sit ex eorum linguis, nominent; nominationeque hujusmodi ad viginti quatuor electores relata, ipsi se in Sacrarium eis loco Conclavis, in hoc casu dumtaxat, assignatam, recipientes, praevia pariter dicti juramenti praestatione, ad secretum Scrutinium pillularum pro electione unius ex dictis tribus nominatis deveniant; itaut quilibet horum trium ballotetur, & ille pro quarto electus sit, & esse censetur, qui majorem suffragiorum numerum respectu minoris numeri reportabit, etiam si sit de corpore distorum viginti quatuor.

De electio ne quinti, & sic successi ve usque ad sexdecim.

Quarto. Iste quartus sic electus ad Conclave accedat, & cum aliis tribus ad quinti; quintus vero similiter electus cum aliis quatuor ad sexti electionem procedat per majorem suffragiorum, seu pillularum numerum: sicque successive usque ad sextidecimi electionem, videlicet duorum ex unaquaque lingua juxta eorum praerogativas, & prerogativas hactenus observatas, quibus praedictum inferre non censetur, deveniantur.

De praesentandis in paritate suffragiorum.

Occurrente autem in omnibus electionibus praedictis suffragiorum paritate, aliis praeratur, electusque sit, & esse censetur magis antianus; & in antianitatis aequalitate is, qui diuturniorem in Conventu residentiam fecerit, seu in servitio dicti Hospitalis magis occupatus fuerit; propter quod servitium pro residente in Conventu habeatur ad praedictum effectum, & in residentia paritate is, qui plures caravannas fecerit.

De electio ne M. Magistri.

Completa tandem sexdecim praedictorum electione, ipsi sexdecim sic electi, odio, amore, & aliis quibuscumque humanis affectibus posthabitis, solumque Deum, illiusque religionis decus, ac propagationem praeculis habentes, praeviaque etiam juramenti supradicti praestatione, ad electionem Magni Magistri, quem capacem, & pro tanti Ordinis dignitate, & utilitate, idoneum judicaverint, sicut hactenus observatum fuit, deveniant. Omnibus autem innotescat, electionem nul-

lam, & irritam fore eo ipso, nec ullum effectum sortiri debere, si aliter celebrata fuerit, quam in Conclavi, & praevia electione trium Fratrum Militum uniuscujusque linguae non receptorum ex gratia limitum, modo, & forma praemisissis, tam respectu scrutiniis, & suffragiorum, quam respectu linguae Anglicanae faciendae; & non electo prius uno Fratre Milite, uno Fratre Cappellano, & alio Fratre Serviente armorum, ut supra qualificatis, qui usque ad electionem decimifexti, duorum videlicet pro qualibet lingua, juxta eorumdem Literarum tenorem procedant, & a sexdecim electis hujusmodi: demumque de alio quam uno ex Fratribus Militibus ex eadem limitum gratia nequaquam receptis.

§.2. Motu itaque proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque apostolica potestatis plenitudine, quodcumque Electionarium, sive Coeremoniale, vel Rituale electionis, seu electionum hujusmodi, a quocumque desuper hactenus factum, compositum, sive publicatum, etiam typis impressum, in primis, & ante omnia revocantes, & annullantes, omnia, & singula in praesenti Coeremoniali ordinata, & quomodolibet contenta, tenore praesentium perpetuo approbamus, & confirmamus; illisque omnibus, & singulis perpetuae, & inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiciamus.

§.3. Eaque ab omnibus, & singulis dicti Hospitalis Fratribus, ad quos spectat, & pro tempore quomodolibet spectabit, inviolabiliter observari praecipimus, & mandamus.

§.4. Decernentes sic, & non aliter per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, etiam de latere Legatos, & Nuntios, quavis auctoritate, & potestate fungentes, sublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, ubique judicari, & definiti debere: ac irritum, & inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.5. Non obstantibus omnibus illis, quae in Literis nostris praedictis volumus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum in Arce Gandulphi Albanen. Dioecesis sub Annulo Piscatoris, die vigesima prima Octobris 1634. Pontificatus nostri Anno XII.

Coeremoniale hic relatum approbat, & revocat quodcumque aliud Coeremoniale, sive Electionarium.

Omnia in eo contenta inviolabiliter observari mandant.

Ita judicari decernit.

Contraria removet.

Dat. die 21. Oct. 1634. An. XII.

Episcopus

CDLXIV.

In Regestis Secret. Apero.

Episcopis Regni Poloniae facultas conceditur consuetum pro Communionem Paschali tempus prorogandi.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Ob Sacerdotum defectum plures dierum spatium Communionem sumere non poterant.

§.1. Exponi Nobis nuper fecerunt Venerabiles Fratres Archiepiscopi, & Episcopi Regni Poloniae, quod in eodem Regno progressu temporis usus invaluit, ut quilibet ad id tamen aptus, & idoneus singulis annis ad minus duodecim dierum spatium, nempe a Feria Quinta in Cena Domini usque ad diem Dominicam in Albis inclusive confessus, ac Sacra Communionem refectus esse debeat: cuius quidem temporis brevitatis in causa fuit, ut ob numerosum dicti Regni Populum, ac Sacerdotum ibidem partim contagio, partim vero aliis infirmitatibus defunctorum defectum, multi praemissa spatio duodecim dierum hujusmodi peragere non potuerint. Quare dicti Archiepiscopi, & Episcopi Nobis humiliter supplicari fecerunt, ut super praemisissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Urbanus hujusmodi tempus prorogari posse sinit.

§.2. Nos igitur Christianissimum ejusdem Regni animarum salutem, quantum cum Domino possumus, consulere volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, eisdem Archiepiscopis, & Episcopis per praesentes committimus, & mandamus, ut eorum arbitrio attenda Sacerdotum penuria, hujusmodi Christianissimorum utriusque sexus dicti Regni ad id tamen aptis, & idoneis, tempus a Dominica Passionis usque ad Hebdomadam post Dominicam in Albis immediate sequentem inclusive, quo durante peccata sua confessi, ac Sacra Communionem refecti esse debeant, & teneantur, auctoritate nostra concedant, & respective prorogent.

Derogat obstantibus.

§.3. Non obstantibus praedicta consuetudine, ceterisque in contrarium facientibus.

Dat. die 26. Oct. 1634. An. XII.

Datum in Arce Gandulphi Albanen. Dioecesis sub Annulo Piscatoris, die vigesima sexta Octobris 1634. Pontificatus nostri Anno XII.

CDLXV.

Fratribus Discalceatis Reformatis Sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum Hispaniarum prohibetur, quominus de cetero recipient personas seculares ad habitum Donatorum. Is vero, qui nunc existunt in dicta Congregatione sub nomine Donatorum, habitum, nomenque Laicorum concedi posse permittitur.

Privilegia aliorum Ordinum communicavit his Fratribus hic Pontifex in Const. LXIX. Bull. Rom. Tom. VI. Par. II.

Commilli. Tom. V. Par. V. fol. 240. Et de Ministris Generalis vacationis quaedam sancivit in Const. LXI. Injuncti. ibidem. fol. 231.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

§.1. Cum, sicut accepimus, in Congregatione Fratrum Discalceatorum Ordinis Sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum, praeter Religiosos Clericos orationi, & contemplationi, ac aliis Ecclesiae ministeriis vacantes, ad Chororumque deputatos, duo sint genera Religiosorum, sub nomine videlicet Laicorum, & Donatorum pro eleemosynis ad sustentationem Fratrum quaerendis, & colligendis, necnon pro aliis servitiis Donorum regularium obeundis cum habitu regulari ad id eis exhibitum juxta dicti Ordinis Statuta (sine tamen Capitulo quoad Fratres Donatos) qui omnes legitimo probationis tempore decurso, tria vota substantialia, Obedientiae scilicet, Paupertatis, & Castitatis in manibus Superiorum dictae Congregationis sponte emittunt, perpetuoque Religionis servitio famulantur; Experientia vero dictae Congregatio repererit, ad suum spirituales profectum, necnon ad majorem suae regularis observantiae conservationem magnopere convenire, quod in dicta Congregatione totaliter extinguantur Fratres, qui Donati appellantur, quandoquidem in propria hujus Congregationis Regula a felicis recordationis Innocentio Papa Tertio Praedecessore nostro confirmata, & a Nobis reformata, nulla fiat mentio de Fratribus Donatis, sed tantum de Clericis, & Laicis.

Cause hujus Const.

§.2. Idcirco felici, ac prospero dictae Congregationis statui, quantum cum Domino possumus, consulere volentes, de Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium negotiis Regularium praepositorum consilio, Motu proprio, & ex certa scientia nostra, tenore praesentium praecipimus; Quod deinceps perpetuis futuris temporibus in praedicta Congregatione nullo modo aliqua persona, tam regulares, quam seculares, ad habitum Fratrum Donatorum recipiantur, sub poena privationis officiorum, & perpetuae inhabilitatis Superioribus contrasacientibus: Et quod in dicta Congregatione tantum sint duo genera Religiosorum, unum videlicet Clericorum Ecclesiae ministeriis vacantium, & alterum Laicorum ad eleemosynas colligendas, & ad alia Monasteriorum servitia attentantium.

Prohibitio, de qua in Rubrica:

§.3. Praeterea Definitorio Generali dictae Congregationis concedimus, ut libere, & licite possit dare Fratribus Donatis nunc in dicta Congregatione degentibus, tam Professis, quam Novitiis, nomen, & habitum, quem deserunt Fratres

Facultas, quod Definitorium Congregat. possit concedere Fratribus Donatis